

**Why and for whom is conversion helpful?
Missionaries on the margins of Francia between royal and aristocratic power
(7th-10th centuries)**

1. Carta of Irminswind (789-791)

M. Heuwierser, *Die Traditionen des Hochstifts Passau*, Munich, 1930 (reimpr. Aalen 1969), n°33a, p. 28-31 :

Nihil enim ut ait apostolus in hoc mundo intulimus nec quicquam ex eo nobiscum auferre poterimus nisi quod ob animea salutem locis sanctorum vel in substantiis pauperum conferimus. Ideoque Uuillihelm in primis in viride silva incipiens aedificare cellulam suam una cum sanctis monialibus sub regula sancti Benediciti et aedificavit ibi domum sanctae Marie et sancti Mihaelis et tradidit hereditatem suam ad cellulam illam cum consensu Huotiloni duci et haec traditio ante fuit facta sub tempore Hucperti ducis. Sed postea adfirmabat traditionem illam cum consensu Hotiloni et tradidit cellulam illam filiae suae nomine Irminsuind cum illis sanctis monialibus ut suam oblationem deo offeret. Et locus ille dicitur Chirihpah [Kühbach].

Et ego Irminsuind domine mi rex una ex ancillulis vestris incidi in languorem maximam metuensque diem extremam mortis meae convocavi ad me virum venrabilem Uualtrihhum episcopum pariterque viros consanguinitatis meae una cum consensu eorum tradidi cellulam meam quam mihi pater meus tradidit atque moriens derelinquid in manu sanctimoniali nomine Sapientia filia sororis meae et post obitum eius tradidi sanctimoniali nomine Imma et postea tradidi illas cum ipsa cellula una cum sanctis monialibus Uaultrihho episcopo, ut esset sub dominio et mundeburde protomartiri Stephani et statui, ut Sapientia in loco vicis me succedere.

Si autem quod absit a rectitudine norme discrepare vellet a iam dicto episcopo regularem vindictam subiacere deberet usque ad veram emendationem ipsaque Sapientia oblationem quam ego in elymosina patris mei seu parentum meorum facere consueram, in omnibus adimplere curaret. Insuper etiam petii a consanguineis meis, ut verba mea seu voluntatem mea esset adimpleta in mercede ipsius et si domini pietas me ex infirmitate evadere concederet ipsa vellem ad vestigia pedum eius pervenire. Si quis vero quod fieri non credo si ego ipsa aut aliquis de viris parentulitatis meae contra hanc cartulam venire aut eam infringere voluerit, cum supradicto martyre in die iudicii deducat rationem et partibus regis conponat aliud tantum et quod repetit vindicare non valeat sed nec traditio omni tempore firma permaneat stipulatione subnexa.

Actum est in loicom qui dicitur Pazauua sub die V. id. maii. Et hec sunt testes : Rihheri testes. Cotahelm testes. David testes. Rantolf testes. Rihhelm testes. Hrodperht testes. diaconus testes.

2. Carta of Kepahild (769 January 20 in Germersberg)

Th. Bitterauf (éd.), *Die Traditionen des Hochstifts Freising*, I, Munich 1905 (réimpr. Aalen 1967), n° 30, p. 58 :

TRADITIO KEPAHILDA DE LOCO GERMANIA IN MONTE

In Christi nomine. Regnante in perpetuo domino nostro Jesu Christo ego Kepahilt rem propriam a viro meo Cundpatone vivente quam adquisivi vel a dote legitimo mihi accederat vel paterno adherenti patrimonio in unum coacervavi locum quae dicitur Germana vel ad Monte in quo ecclesiam condedi beate honoris et semper virginis Mariae cum sociis quam Heres dedicavit episcopus XIII. kal. Feb.

In cuius dote duas donavi colones, Cozpaldum et Prunicum, et meum post obitum cuncta quae possedi, id est colones simul VIII cum aedificiis et curtibus cum domibus et omnibus utensiliis cum pratis et pascuis cum ruribus et silvis necnon et saltu cum aquarum decursibus tradedi ad praenotatum oratorium per consensum filii mei Alpriih et ipsum titulum cum eadem praenotata plenitudine ad beate Christi genetricis Marie ecclesiae ad domum episcopalem Frigisingas castro site quam in beneficio utendi a manu praenotati episcopi diebus vite meae suscepi et post obitum meum illuc in perpetuum stabilivi.

Post haec peracta traditione pariter manu commune cum filio meo iterando firmavi super ipsum altarem in eadem verba ut superius. Cuius haec sunt testes : Ursus presbiter et nepus noster Cundpato. [...]

3. *Legenda Christiani. Vita et passio sancti Wenzeslavi et sancte Ludmille ave eius*, éd. J. Ludvikovský, Prague, 1978 :

cap.2, p. 24 : Hic primus fundator locorum sanctorum congregatorque clericorum et tantille, que tunc fuit, religionis institutor extat.

cap. 3, p. 26 : Imitator siquidem patris factus, fundator extitit ecclesiarum dei, congregator sacerdotum clericorumque..

cap. 6, p. 62 : “Pater meus templum Domini in honore olim statuit beati Georgii, egomet vero licencia cum vestra eodem gestio condere more beati in honore Christi martyris Viti”.